



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Jus illud Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum existimarunt Galli. Tum quoque grati animi significatio hanc cogitationem suggere potuit. Id etiam proficisci potuit ex eo ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

XVIIII. Occasione contentionum, electione palatina velut necessario remedio Reges utebantur ad Ecclesiam quietem, quod probatur variis exemplis. Libertas electionis concessa est Ecclesie Ambianensi anno sexcentesimo octuagesimo.

I. **N**UNC inspiciendum nobis restat quam rationem in electionibus secuti sint Galliarum Episcopi. Quod satis liquere puto ex superius adductis Pontificum testimoniis, quæ novam illam formam apud Gallias quoque ex eorum decretis viguisse ostendunt.

Enimvero ne in totum ab electionis negotio deciderent Episcopi, constituit Concilium Arelatense secundum canone LIV. anno quadringentesimo quinquagesimo secundo ut tres ab Episcopis nominentur, de quibus Clerici vel cives erga unum eligendi habeant potestatem. Sed isthæc sacrorum comitorum partitio huc usque incognita locum non habuit. Convantum Episcoporum juxta canonem Nicænum & Carthaginensem celebravit Patiens Lugdunensis: qui provincialium sacerdotum prævio partim, partim comitante collegio, accessit Cabillonum, ut municipio summus aliquis antistites ordinaretur; ubi ob illa quæ bonum publicum semper evertunt studia privata, quæ quidem triumviratus accendat competitorum, synodi presentiam necessariam judicavit. Quare consilio cum cœpiscopis prius clam communicato quam prodito, strepituque despecto turbe furentis, --- stupentibus factiosis, erubescens malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, Joannem collegam sibi consecravere Episcopi anno quadringentesimo sepruagesimo, apud Sidonium libro quarto epistola ultima. Quare mirum non est cur in electione Simplicij Bituricensis Metropolitanus, quod provincialium collegarum deficeretur numero, Agræcium, qui caput erat Senoniæ, aliisq; Episcopos ad eam ordinationem Sidonius invitat lib. VII. epistola quinta. Vnde patet ex recentiore forma non fuisse omnino abolitam veterem.

II. Ceterum Episcopi Gallicani formam illam novam ex præscripto Romanæ Ecclesiæ inductam sic susceperunt ut discrimen quoque admitterent inter electionem Metropolitanam & ceterorum Episcoporum. Recitanda sunt verba Concilij Aurelianensis tertij habiti anno DXXXVIII. can. III. quæ hujus rei plenam fidem faciunt: *Ipse Metropolitanus, à comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis apostolica continent, cum consensu cleri vel civium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus vero ordinandis cum consensu*

Tom. II.

Metropolitani, cleri & civium, juxta priorum canonum statuta, electio & voluntas requiratur. Eandem formam dederat pro Metropolitanam electionem Concilium Aurelianense secundum anno quingentesimo trigesimo tertio can. VII. Et eodem modo decreverat pro Episcoporum provincie electione Arvernense primum anno quingentesimo trigesimo quinto can. I. quod confirmatum fuit anno quingentesimo quadagesimo nono in Concilio Aurelianensi quinto can. II. in Concilio Parisiensi tertio anno quingentesimo quadagesimo seprimo can. VIII. Parisiensi quinto anno sexcentesimo decimo quinto can. I.

III. Hoc autem loco præcipue illud observandum est, quod maxime ad harum disertationum institutum pertinet, jus novum à canonibus Gallicanis collatum fuisse Regibus, nempe ut eorum voluntas, assensus, & approbatio requireretur ad electionem Episcopi. Quæ quidem indulgentia non omnino abhorrebat à veterum regularum sensu, si discrimen observaretur inter potentiam & præsidium. Veritum quippe per canonem XXXI. apostolicum ne quis per seculi potestates Ecclesiam obtineat, *αρχιεπισκοπικῆς διακονίας*, ut loquitur Ioannes Scholasticus. Adversatur enim canoni ecclesiastico si quis Episcopus à palatio mittatur militibus stipatus ad cives invitos, ut notat Iulius primus apud Athanasium. Sed si cleri & plebis electio foveatur quoque Principis consentientis præsidio, rebellium & seditiosorum conatus compescuntur. Ex illa sententia profectum quod in mandato synodi Chalcedonensis, quo eis notam facit depositionem Dioscori, additur Episcopum Alexandria ordinandum nutu Principis: *Custodite res ecclesiasticas universas, tanquam qui reddituri estis rationem ei qui secundum Dei voluntatem & nutum piissimorum Imperatorum nostrorum Alexandria Ecclesie ordinandus est Episcopus, ὑπομαρτυροῦντες βασιλεως.* Etenim cum populi consensus, ordinis, & honoratorum necessarius esset ut Clericorum electio robur haberet, existimarunt Episcopi Gallicani Principi quoque simile jus concedi posse in universis quæ in regno fierent electionibus; quoniam Princeps erat populorum totius regni caput, quam rationem urget Ivo Carnotensis in quadam epistola.

IV. Illud quoque Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum putarunt, cum Regis consensu promorus expectare debeat faciliorem & proclivorem publicam tuitionem. Imò verò ipsius quoque electionis negotium, quod potentium patrocinia perturbabant, (ut docet Concilium Arvernense can. II. anno DXXXV.) libe-

DDD

rius futurum videbatur. Adde quòd ipsa quoque Regum munificentia in dandis Ecclesie agris, ut factum à Clodoveo testatur synodus Aurelianensis prima canone quinto, & concedendis immunitatibus, exigebat istam ab Episcopis grati animi significacionem.

Neque dissimulanda est potior, ut mihi videtur, ratio, tum apud Reges, ut illud beneficium per canonum interpretationem exposcerent, tum apud Episcopos, ut illud sponte largirentur. Adhibitis quippe in Regum consilia & regni cum reliquis proceribus administrationem Episcopis, juxta monitum quod Remigius Episcopus dederat Clodoveo Regi, æquum erat ut invito & repugnante Principe non assumerentur ad eam dignitatem aut incogniti aut suspecti, sed potius qui essent illi & vitæ meritis, prudentia, ac fide undecunque probati; præcipuè cum ex ministerio sibi commissò magnam in populos sibi subditos auctoritatem consequantur.

V. Aurelianensè Concilium quintum habitum anno quingentesimo quadragesimo nono hanc Regibus auctoritatem tribuit canone decimo, ut in eligendo Episcopo, post cleri ac populi decretum, eorum voluntas expectaretur: *Ut nulli episcopatum premiis aut comparatione liceat adipisci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum provincialibus Pontifex consecratur.* Confirmatum hoc canone jus istud dici potest potius quam institutum; si fides adhibenda narrationi Fortunati Pictaviensis & Gregorij Turonensis, qui Reges Francorum hac potestate usos disertè testantur ante annum quingentesimum quadragesimum nonum. Ille quidem in vita sancti Medardi anno DXX. Peractis, inquit, non sine multo fletu Episcopi sui exequiis, Regis & optimatum assensu sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Veromandensis & omnes ejusdem provincie adjacentes Episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari. Gregorius verò in vita patrum cap. XVI. de Nicetio, ait à Rege Theodorico accersitum anno DXXVI. ut Trevericæ urbis Episcopus ordinaretur. Dato autem consensu populi, & decreto Regis, inquit, ad ordinandum adducebatur.

VI. Si quis inquirere velit penitius an ipsi Reges auctores fuerint hujusce consuetudinis, aut eam aliunde hauserint, dici potest Romanorum Principum exempla præcessisse: qui quidem non passim & in omnibus Ecclesiis, sed in Constantinopolitana præcipuè, aliisque insignioribus aliquando, ad vitandam

tumultuum occasionem, electionum summam ad se revocarunt. Quod autem sit aliquando, & ob causas speciales, trahi non debet in consequentiam, nec vim legis aut juris quæ sit obtinere. Eo consilio, varias in partes distractis Episcoporum studiis, Theodosius senior, ut tranquillitati Ecclesie Constantinopolitanæ consuleret, quam perturbaverant Gregorij & Maximi ordinationes, Nectarium elegit, ita tamen ut synodi Constantinopolitanæ & plebis consensus statim accederet; teste Sozomeno lib. VII. cap. VIII. & Socrate lib. V. cap. VII. Eandem ob causam *ὁ δὲ τῶν κεισοπεδιστῶν* (ut loquitur Socrates lib. VII. cap. XXI.) post Sisinnij obitum, Nestorium ex Antiochia à se accitum Theodosius secundus, malis licet auspiciis, ad sedem Constantinopolitanam evexit. Idem quoque Princeps, post obitum Maximiani Constantinopolitani, antequam corpus illius sepultura daretur, mandavit Episcopis presentibus ut Proclum constituerent; *Ἐθρονισαὶ τὸν Προκλὸν ἐπέστρεψαν*, inquit Socrates lib. VII. cap. XXXIX. Sed facti hujus rationem subjungit, ne rursus de electione, ut nuper acciderat, seditiones excitatæ Ecclesiam illam concuterent: *ἵνα μὴ πάλιν αἰεὶ ὀπιλοῦντο ἑπισκοπίας ἕκαστοι ἢ, καὶ παραχρῆ τῇ ἐκκλησίᾳ κινήσονται.*

VII. Religiosus se gessit Arcadius Imperator: qui per Nectarij obitum vacanti Ecclesie Constantinopolitanæ cum clerus ac populus Ioannem Chrysostrum, licet ab ea extraneum, utpote Antiochiæ Presbyterum, præfici postularer, eorum desideriis consensit, teste Sozomeno: *Ἐπισημαμένον δὲ τὸ τοῦ λαοῦ καὶ τῆς κληρῶν καὶ βασιλεὺς συνήκει, καὶ τῶν ἀξιωτάτων αὐτῶν πέποιθε.* Cum populus ac clerus hoc censerent, Imperator consensit, misique qui cum adducerent. Vbi est manifestum regij assensus exempli dati post electionem cleri ac populi.

VIII. Aliquando autem conjungebantur duo illi actus, & eodem tempore desiderium Principis & Ecclesie ad electionem agendam concurrebat. Cujus quidem consensionis mutæ duo supersunt exempla clarissima. Primi testimonium locuples habetur inter epistolas Hormisdæ Papæ; ad quem Epiphanius Constantinopolitanus scribit de electione sua anno quingentesimo vigesimo his verbis: *Post obitum Ioannis sedem sacerdotalem sanctæ Ecclesie catholice regie urbis Deus mihi conferre dignatus est, sententia & electione Christianissimi & justissimi Principis nostri Iustini & piissima Regina, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiūque eorum, his quibus bona est conversatio, & qui regis honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum, & monachorum, & fidelissima plebis consensus accessit.*

Alterum exemplum suppeditat epistola

Remig. in epist. ad Clodoveum: Sacerdotibus tuis honorem debet deferre, & ad eorum consilia semper recurrere.

Vide supra lib. II. cap. 22.